


Q. D. B. V.
DE
R E G I B V S
S E L E V C I D I S ,

P R A E S I D E
C. S. SCHVRZFLEISCHIO,
PROF. PVBL.

DISSERET
H E R I B E R T V S A N T O N I V S
V O L C K E R S ,
Q V A K E N B R V G A V E S T P H A L V S .


I N A V D I T O R I O M A I O R I .

DIEM I. IVLII. A. d^o bccI



Coll. diss. A
110, 39


VITEMBERGAE,
Prelo CHRISTIANI GERDESIL.



a. CX. 39.

SCOTT
EVANGELIA
SICILIA
OITHONI





I.

Regnum Syriae post Alexandri M. tempora instituit Seleucus Nicator, Antiochi et Laodices filius, nativitatis indicio magnis rebus destinatus, et usu belli, ac virtute militari, in spem potentiae, et regni in opima et ampla Asiae parte obtinendi adductus.

Seleuci meminit Diodorus Siculus lib. XIX. c. 39. cui primum Babylonia obtigit, et partitione, quam Aridaei nomine Antipater instituit, attributa est: hunc postea, Antigonus terrae satrapam renunciavit. Idem lib. XIX. c. 17. sed ab Antigono offensus, ascito in societatem foederis Ptolomaeo, bellum ei intulit, et filium eius apud Gazam, Syriae oppidum in fugam coniecit, lib. eodem, cap. 90. seq. et c. 100. Altera pugna ad Ipsum, Phrygiae oppidum, commissa est, in qua Antigonus vitam amisit, ut tradit Appianus in libro de bellis Syriacis c. 122. post eumque Plutarchus in Demetrio. Diodori historia vitio temporum iacturam fecit, et post librum XX. reliqua eius desiderantur, quae supplenda sunt ex aliis. Quid spectant Eclogae, et Photii speciatim, novissime Excerpta Peiresciana. Antigonum ambitio evertit,

A —

cum

cum maximum Asiae imperium sibi conflasset, sed in fortuna sua non acqvesceret, regnaque aliena invaderet, et plerosque populos, maxime Persas, mutatis eorum magistratibus, a se abalienaret. Diodorus l. XIX. cap. 48. et Peiresciana excerpta lib. XXI. Praeter hos legendus est Iustinus, lib. XV. c. 4. Sed nimia brevitate et festinatione multa praeterit, et temporum momenta praecipitat interdum et turbat, qvod Chronologiae periti facile animadvertisunt.

II.

Auspicatus est regnum anno post mundum conditum ter millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo, et novum simul initium conficiendis temporum rationibus attulit, qvod veterum, et sigillatim Graecorum atque Ebraeorum monumentis celebatur.

Vulgo dicitur Aera, sive ut scribere malunt, Era Seleucida rum, sive Dhilcarnaim, qvam in Chronicō constituit Eusebius, & cum anno Olympiadis centesimae septimae primo coniunxit. Qvo respexit Diodorus, recuperatam a Seleuco Babyloniam tradens, lib. XIX. c. 101. Et Appianus de bell. Syr. c. 122. Ex eo tempore regnum Syriae tenuit, & oraculi in Branchidis editi fidem implevit. Illud legitur apud Diodorum lib. eodem cap. 100. In excerptis Scaligeranis inscribitur Μακεδονικὴ τῶν Σελευκιδῶν τῆς Συρίας βασιλεία. In Chronicō eiusdem nominatur regnum Syriae, et Babylonis, et superiorum locorum. Appianus qvoque comprobat, Regem esse factum Babylo niae

niae et Mediae, eo , qvem praedixi libro. Non pi-
get addere singularem notam genitalem, id est,
figuram anchorae, qvam a principio nativitatis in
femore habuit, et propagavit ad posteros, ut auctor
est Iustinus loco ante commemorato. Appianus
docet, Seleuco ambulanti, et casu offendenti ad la-
pidem, cum effossum hunc inspiceret, figuram an-
chorae ei apparuisse, qvae non morae, ut Seleucus
putabat, sed securitatis, ut Ptolomaeus eum submo-
nebat, indicio futura esset. Illud extra controver-
siam est, imaginem anchorae in numis incisam ad-
hibuisse, qvam conspiciamus licet in numo Deme-
trii Nicatoris, recta serie a Seleuco, familiae condi-
tore descendantis. Qvem exprimendum curavit Io-
annes Valens, in historia Regum Syriae p. 27L Signa
et auspicia regiae dignitatis permulta fuere, qvae
ex Diodoro, Appiano et Iustino cognosci possunt.
Effigies qvoqve duorum arietis cornuum in numis
Regum Syriae cernitur, qvam ad renovandam Ale-
xandri M. memoriam signare voluerunt. Is enim
se gessit pro filio Iovis Ammonis, qui cornutus, et
capite arietis praeditus pingitur, ideo qvod hoc si-
gno galeam ornabat, eaqve in bello utebatur, et ca-
put muniebat, ut narrat Diodorus hist. lib. III. c 73.
Diversum est, qvod tradit Appianus, cornua etiam
in Seleuci statuis delineari solita, qvae fingendi occa-
sio a robore eius sumpta sit, qvod sacrificante Alexan-
dro M. ferocem taurum ruptis vinculis metuendum,
solis manibus arreptum teruiisset. De bell. Syr. c. 124.

III.

Idem illud annos dinumerandi principi-
um, alii aliter nominant, idqve coeli et side-
rum periti homines a mense Septembri du-

A 2

cen-

cendum arbitrantur, atque in his familiam
ducit Albategnius, celebris Astrologus, at-
que sic rationes putat, ut aequinoctium au-
tumnale illius temporis, quo Seleucus re-
gnum Syriae exorsus est, in undevicesimum
Septembris diem reiiciatur.

*Epocha haec dicta est Alexandria, non ab auctore Alexan-
dro M. qvia duodecim post eius mortem annis in-
stituta est, sed qvia Seleucus in maxima m Alexan-
dri ditionis partem successit, sive ut Graecis Appia-
ni verbis exprimam; ὅτι πλείστης μάλιστα τῶνδε τῷ Ἀλεξ-
άνδρῳ διαδόχων ἐβασίλευσε. Ebraei vocant Epocham
contractuum, qvoniam ea ad ob-signandas con-
ventionum tabulas utebantur. Nec vero unum i-
demque computandi initium fuit, qvando alii eo-
rum a vere, et speciatim a mense Nisan, alii ab au-
tumno, et a mense Tisri annum inchoarunt, qvod
ex collatis I. et II. Maccabaeorum libris perspicitur
fatis. Undenam vero Seleucidae annum auspicati
fuerint, utrum a verno, an ab autumnali aequinoctio,
non perinde liqvet. Valens indicio numo-
rum Antiochenium, in qvibus effigies arietis cum
Sole coniuncti cernitur, omnino putat, eos respexisse
ad vernum, conjectura haud inani, propterea qvod
Antiochia caput Syriae, et mater illius gentis Vrbium
fuit. Arabes Epocham, usu tritam, circumlocutione
τῷ δικέρωτος, sive habentis duo cornua insignive-
runt, eamque cum Syris Christianis communem ha-
buerunt. Dionysius Petavius in rationibus tempo-
rum accuratus et diligens, ab Albategnii mente
longius recesfit, eumque non anno Iuliano fixo, sed
vago, ut artifices loqvuntur, usum fuisse scripsit in
opere*

opere de doctrina temporum lib. X. cap. 40. Gra-
ves autem causae sunt, cur ab eo dissentiam: eo ma-
gis, qvod multis idoneisqve argumentis constat,
Albategnii epocham in annis fixis constitutam. An-
ton. Pagius in dissert. de periodo Graeca Romana
§. LXXXV. Cum hac Epocham congruit annus Pe-
riodi Graeco Romanae 5182. P. I. 4402. A. M. 3672.
Ut paulo ante rationes meae sunt confectae. Nil nunc
subjungo de simulacro Solis apud Elephantinopolin
conspecto, qvod non temere ad numos Antiochenes
licet referamus, qvo legendus est Eusebius de pree-
par. Evangel. I. III. c. 12.

IV.

Regno domi firmato, ad Vrbes conden-
das adiecit animum, et sexdecim, qvae pa-
tris nomen memoriamqve servarent, Antio-
chias vocavit, sex propter honorem matris
Laodiceas dixit, novem rei ab se gestae te-
stes Seleucias nuncupavit, qvatuor a coniugi-
bus, tres Apameas, unam Stratoniceam appel-
lavit. Qvatuor Vrbium nomina ab uxoribus,
qvarum duas Apamen et Stratonicen habuit,
sumpta et indita sunt, ob eamqve causam tres
Apameae, et una Stratonicea extructae, et
inter populos ac nationes Orientis celebra-
tae, complures Graecis nominibus insignitae,
aliquae etiam a Seleuci victoriis appellatae,
decus ornamentumqye conditori attulerunt.

A 3

Appia-

Appianus bell. Syr. C. 124. 125. Auctor Excerptorum Scali-
geranorum, alter in recensendo plenior, alter stri-
ctior est. Vrbes quoque Graecis et Macedonicis
nominibus dictas commemoravit Berrhoeam, Edes-
sam, Perinthum, Maroneam, Callipolin, Achaiam,
Pellam, Oropum, Amphiolin, Arethusam, Assacum,
Tegeam, Chalcidem, Larissam, Heream, Apolloni-
am: Amplius in Parthia Soteram, Calliopen, Charim
Hecatopolin, Achaiam: In India Alexandropolin,
in Scythia Alexandreschatam, a fortunato victoria-
rum eventu Nicephorium in Mesopotamia, et Nico-
polin in Armenia. Iste meminit Antiochiae, quam
magnam vocat, caput Syriae et metropolin, Laodi-
ceae, Seleuciae, Apameae, Edessae, Berrhoeae, Pellae.
Ex his Antiochia a Seleuco ad Orontem fl. extru-
cta, aliquanto post ad Daphnen cognominata est,
id quod Libanius indicavit in panegyrico Antio-
cheno p. 350. Diversae sunt Antiochiae ad Calli-
roen lacum in Palaestina, tum in regione Margiana,
praeterea in tractu Ptolemaidis, et alia in Mygdo-
nia, quae Nisibis nominatur. Illarum, quas enume-
ravi, Vrbium quatuor sorores dictae sunt propter
concordiam, ut Antiochia ad Daphnen, Seleucia
Pieria, quae in Syria ad ostia Orontis, Apamea
in eadem regione ad Orontem, et Laodicea quo-
que Vrbs Syriae, ad Orontem sita, apud Strabonem
dicto loco. Earum crebra mentio est in numis apud
Tristanum, Franc. Gotifredum, Vaillantium, alios-
que. Laodicena civitas collaudata est ab Alexan-
dro Imp. Augusto, et inter splendidissimas relata,
I. 2. C. de Incolis. Illa vero, quam Vopianus nomi-
nat, in Coelesyria erat ad montem Libanum, *I. 1. §. 3.*
D. de Cens. De utraqve Achaia, quam Appianus
memorat, facile constat, duas ab eo intelligi Vr-
bes, alteram Syriae, alteram Parthiae, quas, et multas
Syriae vrbes praetermisit Stephanus ὁ ἑρμηνεὺς
Φος

Φος. Nam Achaia, Peloponnesi regio non est huius loci, de qua legendi Pausanias, Strabo et Ptolomaeus.

V.

Quemadmodum vero conditis tot et tam agregiis urbibus, regni opes, et suam potentiam auxit, sic prudenter et tempestive repressit aemulos, et contra Antigonom, Demetriumque eius filium, inito cum vicinis foedere, bellum gessit, et Antigoni exercitum fudit. Rex Antigonus in eodem praelio interiit, cuius regnum victores socii inter se divisorunt, et suam quisque ex eo partem detraxerunt. Seleucus oblata regni ampliandi occasione usus est, et cum ditione sua conjunxit Mesopotamiam, Armeniam, Cappadociam, quam Seleucidem vocant: praeter has occupavit Persiam, Parthiam, Bactriam, Arabiam, Sogdianam, Hircaniam, et alias regiones, ad Indum fl. usque porrectas: Antigoniam solo aequavat, atque ex hac urbe coloniam duxit, maxime Antiochiam excoluit, et novis adeo colonis frequentavit: plurimas certe in Asia regiones tenuit, uni

Ale-

Alexandro, omnium prope Asiae gentium domino et victori secundus.

Vere meritoque Nicator dictus est, caeso Nicatore Mediae praefecto, ab Antigono ante cladem, in Phrygia acceptam constituto. Qvare Nicatorum victoriae monumentum ab suo Nicatoris nomine appellavit. Cuius rei testes sunt Appianus et Arrianus. Idem confirmant nummi veteres, et Dexippus apud Eusebium. Contra Iohannes Malala semel scripsit, Nicanor: deinde servata eadem scribendi forma, scribere perseveravit, Nicator, in Chronologia p. 252. seq. At nihilominus aliqui recentiores Nicanorem cognominant, et inter hos ipse Dionysius Petavius, sed contra veteris scripturae fidem, et contra etymi rationem. Graecis victor est Νικάτωρ, qvod nomen victoriis ab eo partis congruit, et Appiani testimonio fulcitur. Ex eo corrigenda est Eusebii scriptura in Chronicō Canone p. 164. et in Excerptis Gr. p. 374. Ante huc Iosephus Archangaeol. lib. XII. c. 3.

VI.

Non eqvidem successione, ut Philippus et Alexander, regnum consecutus est, neutro tamen prudentia et fortitudine inferior, suas et vicinorum Regum vires idoneo et māturo iudicio ponderavit, neqve Cassandrum Macedoniae Regem destituit, quem Antigonus opprimere cupiebat. Sed ne id fieret, communicato cum sociis Regibus consilio, impediebat Seleucus, et cavebat, ne totius

totius Asiae imperium occupavit. Tanti refert, qvo qvisque loco natus, et qvomodo educatus sit, qvibus vitae morumqve rectotribus utatur, qvos consilii auctores habeat, cum qvibus versetur et deliberet, unde sequendi exemplum capiat, qvae tempora incident, qvae occasionses agendi suppetant, qvi status vicinorum sit, qvale populi regendi ingenium existat, liberiusne imperium velit, an dominatum. Haec enim reputavit animo, et providit Seleucus, cum futurae magnitudinis fundamenta iaceret, et sensim paulatimqve ad rerum summam, represso Antigono, eniteretur.

*Seleucus sub Alexandro M. stipendia fecit, et dux belli factus est, eoqve mortuo, praefectus Babyloniae impositus, imperandi artes didicit, et opes, belli nervos, fibi paravit, tum instituta imperii Alexandrini divisione, suo qvoqve auspicio ductuqve bella ges-
fit, et compositis in Oriente rebus, auctisqve, victo Antigono, viribus, et additis regno novis provinciis, septuaginta qvinqve vrbes condidit, coloniae
que ducta, sedem regni locupletavit, fundatisqve opibus publicis, regnum legibus constituit, et regiam potestatem non populi suffragio, sed pleno dominatu firmavit. In hanc sententiam legendi Appianus et Iustinus. Malala ex Pausaniae Chroni-
cis 75. Vrbes ab eo extructas memorat, inter quas*

B

Pella,

Pella, non Macedoniae, qvae diu ante fuit, sed Syriae intelligenda est, qvae ex vico Vrbs facta, et pro Pharnace deinceps Apamia dicta, atqve ad ultimum Pella, sumpto a veteri Macedonica nomine, appellata est. Qva in re suffragatorem habet Stephanum, de Vrbibus h. V. Ante eum Strabo, Geogr. lib. XVI. Hoc prosperi eventus argumento ostenditur, Symbolo anchorae praesignificantam esse regni Seleuciani firmitatem. Philostratus retulit, Indos anchora aurea pro caduceo usos. lib. III. c. 3.

Non irritavit vicinos, nec tamen metu et patientia sua vires eorum auxit, neqve tempus diu in deliberationibus consumpsit, sed negotia confecit mature, et in communi periculo nihil neglexit. Demetrio quoque sacero, ob novum et nimium belli apparatus suspecto, hostes denuo et aemulos excitavit Ptolomaeum et Lysimachum, et Pyrrhum. Ille post varias fortunae vices, Seleuco dedere se coactus, et in custodiam traditus, tertio captivitatis anno decessit, pro quo multi quidem deprecati sunt Reges, et in primis Antigonus Gonatas, Demetrii filius, sed ne id fieret, obstabat Lysimachus, vario turbulentoque Regis captivi ingenio diffisus. Postea Seleucus amicitiam ac societatem dissolvit,

bel-

bellumque comparavit, septem et septuaginta annos natus, in quo Lysimachus acie con- gressus periit, labe incestus et libidine in- qvinatus. Tandem his rebus gestis, Seleucus a Ptolomaeo Cerauno ex insidiis inter- fectus est, septem post mensibus, quam cae- sus fuerat Lysimachus, anno M. ut meae ra- tiones habent, termillesimo septingentesimo tertio, Rex post Alexandrum M. in Asia ma- ximus fortissimusque.

Seleucus egregie et sapienter regnavit, et suae semper dignitatis rationem habuit, nisi quod filio, qui nover- cam suam perdite amabat, nimium indulxit, quod ex Appiano liquet. Eresistrato usus est medico, qui centum talenta, sanato eius filio, accepit, ut est a- pud Plinium H. N. lib. XXIX. c. 1. In hanc sententi- am legendi Appianus in Syr. c. 127. Valerius Ma- ximus lib. V. c. 7. Plutarchus in Demetrio. Huius concessu beneficioque Iudeis ius civitatis datum est, quod praeter Iosephum docet auctor Graeco- rum excerptorum, in quibus sequentia legimus: ἐν ταῖς νέαις πόλεσιν ιδαίς συνώκισεν Ελλησι, καὶ πο- λιτείας αὐτὸς ἤξιωσε, καὶ τοῖς ἐνοικιθεῖσιν ιστόμας ἀπέ- δειξε Μακεδόσι καὶ Ελλησιν, ὡς τὴν πολιτείαν ταύτην διαμένειν. Iudea tamen proprie dicta non Seleuco, sed Ptolomaeo Lagi F. paruit, quod ex Agatharci de Iosephus confirmat. Secus, atque tradit Sulpicius, in quem extant Caroli Sigonii animadversiones. De eius et Ptolomaei super divisione disfidiis legendi Polybius lib. V. et Plutarchus, in Demetrio. Iuris

tenax, sua retinere, qvam aliena invadere maluit,
nec vicinos eo magnitudinis crescere passus est, ut
fibi nocere possent: nemo enim crebrius opprimi-
tur, qvam qvi nihil timet. Contra is plerunque
sua amittit, qvi cum aliorum iniuria fines profert,
qvod magna qvoqve regna, si modum excedunt,
commode regi nequeant, et suis saepe viribus con-
ficiantur. De literis etiam paeclare meritus est,
propterea qvod libros, qvos Xerxes ex Vrbe Attica
ablatos, in Persiam intulit, eos Seleucus omnes red-
dendos curavit, ut ab A. Gellio observatum est N. A.
lib. VII. cap. ult. 17. Tantus Seleuci in Graeciam
amor fuit, in qvam, commendata Filio Afia, cum
reverti statuisset, per insidias a Ptolomaeo Cerau-
no circumventus, et indigne sublatus est, ut lege-
re est apud Appianum in Syr. Addendus Memnon
histor. cap. XIII. Meminit huius necis Strabo Geogr.
lib. XIII. Iustinus lib. XVII. c. 2. Qvo casu regnum
Lysimachi, qvod eo victo occupaverat, amissum est,
cum antea duae et septuaginta *satrapiae* regno Se-
leuci contributae essent, auctore eodem Appiano
c. 128. Diversus est Seleucus Cybiosactes, cuius
meminit Svetonius in Vespasiano cap. XIX. Vbi non
immutanda est lectio, neqve Cybiosactes in Ptole-
maeis Aegypti numerandus, ut putavit Laevinus
Torrentius in notis ad hunc locum. Nam id non
scripsit, quem laudat, Strabo, qvippè qvi prodit, Cy-
biosacten generis sui originem deduxisse ex Syris,
a Berenice qvidem vocatum ad capessendum Aegy-
pti regnum, sed ob vitae fordēs, et mores plane il-
liberales, ab ea strangulatum, ut idem affirmat Geo-
graph. lib. XVII. Pausanias lib. I. iustitiam eius et cle-
mentiam laudavit, sed ei usuvenit, qvod multis post
seculis Vespasiano, qvi neminem laefit, aut punivit
insontem, nisi absens et ignarus, aut certe invitus,
atqve

atqve a malis consulsoribus deceptus, apud Tranqvili-
lum cap. XV. Prudentes enim respiciunt praeterita,
et contemplantur praesentia, ex iisqve iudicant de
instantibus, nec fiducia virium infolescunt. Seleu-
ci Epochæ dicitur Graeca, speciatim Syro Macedo-
nica, Rumaea qvoqve ab Vlug Begho, qvem in La-
tinum sermonem convertit Ioannes Gravius, anti-
qvitatum, qvae ad Orientem pertinent, admodum
peritus. Caput huius Regis pelle Leonina oper-
tum conspicitur in numis, haud dubie, qvcd Re-
ges Mecedonum primordia generis ad Herculem
referrent. Eo legendi Io. Valens, in historia Re-
gum Syriae, Henr. Norisius in qvinque dissertationi-
bus de Epochis Syromacedonum, et qvi plerosqve
illorum numos excusit Ez. Spanhemius, in rebus
gravissimis, et doctrinae monimentis pari diligen-
tia versatus, in dissert. V. de praest. et usu numism.

Antiochus, huius nominis primus, qvi
volente, et vivo adhuc patre Seleuco, regna-
re coepit, ducta in matrimonium noverca,
de laude sua non parum detraxit. Verun-
tamen Julianus tradit, Stratonicen, qvae al-
tera Seleuci uxor fuit, ab excessu patris de-
mum Antiocho nupsisse, sed potior mihi est
auctoritas Appiani et Plutarchi, qvi Seleuco
superstite id factum esse, consentientes te-
stantur. Is longe a patris gloria abfuit, et
maiore apparatu, qvam successu, bellum ges-

B 3 sit,

sit contra Antigonus, Demetrii filium, trato in societatem Nicomedae, Bithyniae Regae, contra qvem Antiochus classem comparavit, sed tempore inutiliter consumpto, nihil expectatione dignum gesit. Antigono deinceps reconciliato Philam, qvam ex noverca susceperat, in matrimonium collocavit. Non meliori fortuna oppugnavit Ptolomaeum Aegypti Regem, cognomine Philadelphum, adversus qvem Magas, Ptolomaei frater uterinus, incitavit Antiochum, cuius filiam Apamen in matrimonio habuit, socero belli et foederis violandi auctor. Undeviginti annis regnavit, atqve in eius tempora incidit expeditio Brenni Gallorum ducis: prope fuit, ut Galli in Asiam tendentes Antiochum vincerent, sed eos magno cum labore et periculo represerit ac delevit, a prospero pugnae eventu, qvo salus Asiae servata est, Soter appellatus.

Res Antiochi obscuritate involutae, et quasi densa nube obtecta, propter silentium Appiani et Iustini, qui breviter strictimque eius historiae partem attigerunt. Multa ex Memnone peti possunt, quae huc

huc spectant. Qvaedam ex Polyaeno, qvi mortua
Stratonice, secundam uxorem ab eo ductam, nomi-
ne tamen illius omisso, confirmat. Iulianus suam de-
novercae connubio, in mortem patris dilato, sententi-
am in Misopogone declaravit. Cognomen Soteris,
qvod, repulsis Gallis, ei additum est, ex Appiano li-
qvet, in Syr. cap. 130. In numis, qvi supersunt, non ex-
pressum est, neqve a Iustino usurpatum, lib. XVII.
et XXIII. vbi agit de Antiocho I. Fuit et Soter
qvidam Demetrius, in serie Seleucidarum decimus,
de qvo infra, et aliis eiusdem cognominis in Ae-
gypto, Ptolomaeus ordine decimus, apud Eusebium,
et Chronici Alexandrini scriptorem. Decesit A. M.
3722. postquam A. M. 3703. regnum exorsus fue-
rat, qvae rationes cum Eusebio congruunt exacte.
Perperam scribit Vaillantius, eum viginti annis re-
gnum tenuisse. Mirari in mentem venit, cur scri-
pserit Christophorus Pezelius, eum non diu post pa-
trem regnasse. lib. II. Chron. de Reg. Syriae. Nam
undeviginti annos regni explesse, ex Eusebio con-
stat. Nec tamen pervenit ad aetatem patris, neqve
tantum regnandi spatium confecit, qvod facile
intellectu est, et ex iam dictis est manifestum.
Iacobus Cappellus perturbavit saepe rationes tempo-
rum, qvando annum suscepit ab Antiocho I. regni
constituit A. M. 3718. et annos viginti, qvemadmo-
dum post eum Vaillantius, regno eius assignavit, in
historia sacra et exotica. Ulricus Huberus arbitra-
tur, nulla re memorabili gesta, ipsum regnasse, hist.
Civil. part. I. lib. 3. sect. 3. cap. 1. Atqui cognomen
Soteris aliud comprobatur, et numi elephantis imagi-
nem habentes, victoriamque adductis in aciem bel-
lis partam confirmantes, indicio esse possunt rei
memorabilis ab eo gestae. Neqve apparatus belli-
ci, qvamvis iritti, erant spernendi, ut ex Memnone

et

et Pausania intelligi abunde potest. Apud Laurentium Ludenium crasso librarii errore scribitur, Antiochus Socer. Cum his temporibus coniungitur expeditio Romanorum in Siciliam, ad Poenos, qui ex Sicilia Italiae imminebant reprimendos. De qua legendus est scriptor prudens Polybius lib. I. Gellius I. XVII. c. 2. Florus I. II. c. 2.

Summa rerum postea pervenit ad Antiochum II. Antiochi Soteris F. qui principio regni, quam exitu felicior, vindicatis in libertatem Milesiis, quod deleta Timarchi tyrannide contigit, Deus est cognominatus. Bellum Ptolomaeo Philadelpho intulit, aut potius morte patris intermissum magnis viribus instauravit, quod ut faceret, Apame Antiochi huius soror ex regno Aegypti dimissa, ultionis avida mulier et impotens, facile persuasit. Hoc grave erat Regi Aegyptio, quem incommoda semper valetudo tenebat, et cupiditas rei librariae sic incendebat, ut otio magis, quam bello delectaretur. Ergo pactione controversiam dirimere, et bellum finire statuit, eaque de causa Antiocho nuptum dedit filiam, pignus amicitiae et pacis futuram. Confecto dotis negotio, sponsa

sponsa Berenice cum exquisito ornatu, ac maxima pecuniae vi Pelusium, et deinde Seleuciam, Vrbem Aegypti maritimam, deducta, et nuptiae festo ritu, atque insigni pompa celebratae. Movebat Antiochum quoque fortuna temporum, et defectio Parthorum, qui ab Arsace et Teridate fratribus concitati, iugum excusserant, et seditio Bactrianiorum, quos in eam mentem impulit Theodotus, mille Bactrianae regionis Vrbium praefectus. Aliquanto post e vita excessit Ptolomaeus, et Berenice neglecta ac repudiata, et Laodice in pristinum matrimonii honorem restituta, sed marito, cuius varium et mutabilem animum cognorat, diffusa, eum veneno sustulit, nec multo post Berenicem cum infante puero submovit. Quae res initium fuit multarum, quae consecutae sunt, calamitatum, et dissidiorum Syriae et Aegypti Regibus funestorum. Qvindecim annis regnavit, et A. M. 3737. e vita migravit.

Primi eum Milesii, foeda quoadam adulatione Deum nominarunt, V. Appianus in Syr. c. 130. Ab his exemplum alii petierunt, et parasitorum mores se-

C cuti

cuti sunt, neque tamen in numis scalpendum hunc titulum curarunt. In quo assentior Vaillantio, et nullos tales Antiochi II. numos extare arbitror, in quibus incisum sit Dei nomen. Verius existimare licet, primos Antiochi IIII. numos cum hoc titulo signatos. Quo respexit iosephus Antiq. Iudaicar. lib. XII. c. 7. Sed a Samaritanis sumptum esse merito inferior, propterea quod ea gens vilis et contempta fuit apud Syros perinde ac apud Ebraeos. Probat hanc sententiam Norisius in diss. II. de Ep. Syro Macedonum. Bello contra Byzantinos susceppto non respondit fortuna, neque ultra minas processit, ut Memnon tradit cap. XXIV. Bellum adversus Ptolomaeum a paucis commemoratum, et a nemine historicorum sigillatim descriptum est. Quomodo et quibus pactis dotalibus finitum sit, plures consignarunt, et inter patres etiam Hieronymus in cap. XI. Danielis. Porro affinitatis inter eum et Ptolomaeum contractae meminit quoque Libanius in Antiochico, p. 352. Vbi idem tradit, nullum ab Antiocho Seleuci filio bellum fuisse suscepsum, et arma etiam sub huius filio Antiocho II. quievisse. Quod vel sola Memnonis historia refellit, et fidem sophisticam scitisimi alioquin Rhetoris ostendit. Tum de bello et victoria Antiochi Soteris nos confirmat, et certiores reddit sophista Lucianus, Libanio sophista prior, neque rerum Antiochi ignarus, in Zeuxo, sive Antiocho. Socer Antiochi ob lautam dotem cognomen tullt, et Φερνοφόρος dictus est, de cuius pompa, ludorumque apparatu et impensis legendus Athenaeus deipnosoph. lib. V. Antiochus Dei cognomine appellatus est, testibus Appiano, Eusebio, Georgio Syncello, Zonara. Ab uno, quod sciām, Malala θεοσιδῆς vocatur, in Chronographia p. 261. David Paraeus in Chro-

Chronologia Sulpiciana auctoris, qvem seqvitur,
obitus, Ethaeum nominat. Atqvi nusquam, ne a
Sulpicio severo qvidem, Ethaeus, sed Theus cognos-
minatur. Ceterum annos regni dinumeravit recte,
et secutus est Eusebii auctoritatem. Pantaleon
Candidus in tabulis Chronologicis unde Viginti an-
nos ei asffinavit, Antiochum opinor, primum cum
altero confundens. Iudeis Ioniam incolentibus
aeqvum se praebuit, Ius civitatis cunncesfit, aucto-
re Iosepho Antiq. l. XII. c. 3. Idem illud legitur
in excerptis Nicolai Damasceni, ab H. Valesio editis.
Antiochum veneno Laodice sustulit, et Artemo-
nem illi forma et lineamentis similem in lecto re-
posuit, adeo ut populus ad videndum intromissus,
Regem esse crederet, apud Valerium Maximum lib.
IX. c. 14. et Plinium HN. lib. VII. c. 12.

Patri per scelus necato, successit Seleucus
II. Callinicus boni ominis causa nominatus,
et filius ex Laodice natu maior, regnum hor-
tatu matris a foeda novercae et filii eius cae-
de auspicatus. Qvod facinus commovit vi-
cinos, et a Seleuco abalienavit: mox Asiae
civitates ab eo desciverunt, et Ptolomaeo
Evergetae, Philadelphi filio, se tradiderunt.
Neqve hic scelus inultum reliquit, et com-
parato exercitu, movit in Syriam, et maio-
rem Asiae partem Seleuco eripuit, sumpto-
qve de Laodice, qvae svasit necem, suppli-

cio, non Ciliciam tantum et Coelesyriam,
sed etiam regiones trans Euphratem sitas
subegit, nec multum absuit, qvin totum Se-
leuci regnum occuparet. Seleucus classem
instruxit, qvo civitates ad officium reduce-
ret, qvae, tempestate disiecta, naufragio pe-
riit: civitates miseratione permotae, sponte
sua ad obseqvium redierunt. Collecto igi-
tur animo, viribusqve refectis, exercitum
difficilimo regni tempore confecit, sed ni-
hilo meliore successu pugnavit. Accepta
clade, velut coelestis irae piaculo, ad fratrem
Antiochum Hieracem se convertit, ab eo-
qve opem petiit. Antiochus qvidem pro-
misit auxilium, simulato magis et subdole,
qvam ut fratrem bello implicitum liberaret.
Non enim Asia inter Tauri finēs contentus,
Seleucum regno fortunisqve evertere cupie-
bat, qvod ubi intellexit Seleucus, bellum pa-
ce mutandum ratus, in decem annos tran-
qvillitatem paciscebatur. Verum Hierax
ea re offensus, Gallos, qvi ex Europa adve-
nerant, stipendiis conciliatos, in Asiam ad-
duxit,

duxit, qvi Seleucum de possessione Asiae de-
iicerent. Commissum est praelium, qvo
Seleucus vicit, sed habitum mentitus aufu-
git, qvem frater cum caesum crederet, veste
lugubri sumpta, dolorem testatus est. Galli
res suas firmaturi, versis in Hieracem armis,
regiae stirpis excidium ad utilitatem domi-
natus constituendi animis proponebant, ut
iam sero intelligeret Hierax, qvantum exter-
nis advenarum auxiliis tribuendum esset.
Seleucus, turbatis sub illud tempus in Asia re-
bus, et condito ab Arface in Parthis regno,
expertus est, sua et fratris discordia adiuvari
spem seditionum, qvos cum in ordinem
redigere statuisset, ab Arbace vicit: Par-
thia deinceps non rediit in Seleuci ditionem.
Initium huius conversionis coepit regnante
Antiocho II. et Callinici temporibus adauxit
potentiam Arsaces, iustumqve Regem dispari
fortuna pugnantem superavit, et captivum fe-
cit, qvi A. M. 3757. e vita migravit. Ex eo tem-
pore omnes Parthorum Reges Arsacidae dicti,
postquam Arsaces victoria res suas confirma-
vit.

C 3

Seleuci

Seleuci mentio est in marmoribus Arundellianis, quae Smyrnaeorum Magnetumque foedus cum Seleuco II. iustum confirmant. Huius pater ibidem Antiochus Deus, et mater Stratonice commemorantur. Pleraque ibi non bene convertit Io. Seldenus, neque inscriptiones subiectas aliquot recte assecutus est, quarum nihilominus interpretationem retinuit Humphridus Prideaux. Hic Seleucus fuit Seleuci Nicatoris (mendose, Nicanoris, scribit Prideaux) pronepos, non, ut aliqui tradunt, nepos, atque inter eos Berneggerus Appianum, cuius hic mendum est, secutus, qui Antiochum Deum Seleuci Nicatoris F. vocat. In notis ad Iustinum lib. XXVII. c. 1. quem male corrigit Freinsheimius l. XLI. c. 4. Hunc enim Nicolaus Damascenus, et Iosephus tuentur.

Series generis hoc demonstrat.

*Seleucus I. Antiochi ducis belli,
ux. 1. Apame. et Laodices F.,
2. Stratonice.*

Antiochus I. Soter. Laodice.

*ux. 1. Stratonice.
ux. 2. Cuius nomen
ab historicis tacetur.*

Antiochus II. Deus.

*ux. 1. Laodice Antiochi patris filia.
2. Berenice Ptolomaei Philadelphi F.*

Seleucus II. Callinicus. Antiochus Hierax fr.

ux. Stratonice Andromachi filia.

Seleucus

I
—
Seleucus III. Ceraunus; Antiochus III. ma-
liberorum expers. gnus Fr. stir-
pem propa-
gavit.

Redeo ad Seleucum, cognomine Callinicum, sed in
numis hoc elogio nunquam appellatum. Aliter
Pogon dictus est, quod monimentis mandavit Poly-
bius, lib. II. Sub eo Arsaces regnum antea coeptum,
occasione dissidiorum inter fratres excitatorum
corroboravit, maxime post infelicem pugnam,
quam cum Arsace conseruit, quam enarravit Posido-
nius apud Athenaeum Deipnosoph. lib. IV. Auctor
epitomes Trogi comprobat, Arsacem Seleuci victo-
rem, spem recuperandi regni Seleuco ademisse, vel
hoc argumento, quod Parthi illius Victoriae *diem so-*
lennem, *velut initium libertatis observari* ut, lib. XLI.
cap. 4. Tempus defectionis coniungit cum L. Man-
lio Bulfone (rectius Vulsone) et M. Attilio Regulo
Coss. Ex eo repetit Petavius, et magni istius motus
principium sub Antiocho Deo extitisse arbitratur.
De doctrina temporum lib. XIII. An. M. 3734. Haud
male quidem, sed Seleuci et Antiochi fratrum di-
scordiam non recte subiicit, quae Antiochi Dei mor-
tem consecuta est, ut ex Appiano et Iustino liquet.
In annis regni dissident Eusebius et Syncellus, ille
viginti, hic unum et viginti annos Callinico assi-
gnavit. Ex equo delapsus obiit, ut Iustinus auctor
est lib. XXVII. c. 3. Regnum illi non ab Arbace,
qui captum liberaliter et regio more habuit, sed a
Ptolomaeo, qui Asiae inhiabat, erectum est, atque
haec causa fuit, quamobrem, amissio regno, mortuum
scribat Iustinus. Sub eo regnum Arsacis constitu-
tum est, quod Appianus et Iustinus indicant, neque
tamen cum Syncello pugnant, qui primordia defe-
ctionis,

Etionis, non incrementa, et confirmatum regni Ar-
faciani statum tradit. Adde Strabonem Geogr. lib.
XI. et l. XV. Atrianus in Parthicis, qui extat in Pho-
tii excerptis, non Apollodorus, qui Parthica non scri-
psit, etli eum hoc nomine laudavit Vaillantius. Do-
mestica seditione, quam prensans Asiae imperium
Ptolomaeus fovit, oppressus est, cum eqvum fugae
causa concenderet, ex eoqve decideret et interiret.
Ita ex Iustino colligere licet, nec dissentit Prideaux.
Rationes temporum, a Mircondo, scriptore Persico
initae, non longius a consulatu Reguli et Vulsonis
recedunt. Ego ita supputo.

Alexander M. decesit A. M. 3734.
Arsacis defe~~t~~io contigit. A. M. 3660.

74.

Qvos annos si a prioribus subduxeris, confidentur
anni qvatuor et septuaginta, ut biennium adeo sup-
putatio Mircondi praecedat Epocham, quam dixi,
consularem, non unus tantum annus, qvemadmo-
dum Vaillantius putat. Ab Arsace cognominatos
esse Arsacidas, praeter Iustinum quoqve confirmat
Strabo lib. XV. Αρσάκαι, inquit, καλλύνται πάντες.
Non scripsit, Αδσακίδαι, qvod ωοιπικώτερον est, et a
prosa abhorret. Consulto Iustinus tradit, hunc no-
vo Regi honorem tribuisse Parthos, ut omnes ex-
inde Reges suos Arsacis nomine nuncuparent. L.
XLI. cap. 5. Parthos dixit, cum Persis coniunctos,
et uno saepe nomine, qvod ex Plinio constat, appel-
latos. Error est Marcellini, Seleucum Nicatorem ab
Arsace victum commemorantis, qvoniam Seleucum
Nicatoris pronepotem scribere debuisset, lib. XXIII.
c. 6.

Seleucus, qui nomine Tertii ab aliis distin-
gitur, patrem Seleucum II. in regno secu-
tus

tus est, qvippe maior natu filius, atqve inter Reges Syriae ordine successionis quintus, et Ceräuni cognomen repentina in Parthos expeditione adeptus. Animus ei non defuit, et Taurum montem transgressus, contra Attalum Pergami Regem copias eduxit, Hermia interim, ut regnum administraret, domi relieto. At in hoc tali conatu mortem oppetiit, et fraude ac veneno sublatus, non amplius tres annos regnavit, et successorem habuit fratrem Antiochum III. cui res gestae titulum Magni pepererunt. Varia tamen fortuna usus est, et Molone, qvi res novas moliebatur, oppresso, arma vertit in Ptolomaeum Aegypti Regem, cui Philopatoris cognomen fuit. Vicitus est Antiochus, nec sine periculo pugnavit Ptolomaeus: hic ubi aciem inclinari sensit, adeqvitans suos erexit, et ope ac virtute militum, qvos in Graecia conscripsérat, Antiochum audacia iuvenili dimicantem, represit, copiasqve eius dissipavit. Deinde Antiochus, bello infeliciter gesto, captas Syriae vrbes reddere coactus, pacem fecit,

D

neqve

neque difficilem se victor praebuit, quietis
cupidus, et voluptatum illecebris irretitus,
ac recepta Coelesyria contentus, in Aegy-
ptum rediit, luxuque et libidine se inquinavit.
Post haec Antiochns, capto et comprehenso
Achaeo, statum Asiae minoris composuit, et
auctorem seditionis in crucem egit. Sub idem
tempus bellum fecit Arsaces, Arsacis regni Par-
thici conditoris filius, Mediamque occupa-
vit, sed quia huic subigendo impar erat, et in
proximo, inter utrosque commisso praelio,
Arsacis fortitudo enituerat, his conditionibus
pax restituta est, ut alter alterius in oppugnan-
do Euthydemus, socius esset, cuius defectio-
nem ulcisci cupiebat, nec res suas ignave cu-
rabat, sed quin perficeret consilium, adulta
Arsacis potentia obstat. Igitur necessitati
cedens, amicitiam cum Euthydemus iunxit,
eamque foedere iurato confirmavit. Inde
trans Caucasum, longo et laborioso itinere,
in Indiam pervenit, cum Rege Sophagaseo
foedus iniit, vel a maioribus initum reno-
vare coepit, regulos cis Taurum universos in
ditio-

ditionem atqvc imperium redegit. Demum
allato mortis Ptolomaei Philometoris nun-
cio, rursus bellum conflavit, et assumpto in
societatem foederis Philippo, Macedonum
Rege, cum eo ita constituit et pactus est, ut
uterque utriqve in occupando Aegypti re-
gno auxilium ferret: regnum occupatum in-
ter se ambo dividerent: Coelesyria cum
Phoenice Antiocho, Aegyptus cum Caria Phi-
lippo obtingeret: de vrbibus sic inter ipsos
convenit, ut qvae regnis ipsorum situ oppor-
tuniores essent, Regibus proprius habitanti-
bus obvenirent. Antiochus ex composito, mo-
vit in Coelesyriam, Philippus Cariam destina-
vit. Magna tunc in Aegypto passim trepi-
datio fuit, qvando Alexandriae percrebuit
fama pactionis, de Aegypto inter duos Reges
dividenda. Qvare legatio decreta, et Ro-
mam missa est, cum mandatis, ut Regis ad-
huc impuberis causam populo Romano com-
mendaret, qvo suscepta pupilli tutela, eum ab
iniuria defenderet, regnumqve legitimo Re-
gi servaret. Aeqva et iusta fuit petitio,

D 2

cui

cui SPQ locum dedit, neqve res Asiae, sua et
vicinorum causa, neglexit. Qvo factnm est, ut
qvae de Rege et regno fieri vellent, per lega-
ros pronunciarent, et Antiochum ac Philip-
pum ab invadenda Aegypto dehortarentur:
nisi abstinerent, iniurias, qvas pupillo infer-
rent, Romanis curae futuras: regnum foedere,
et tutelae iure devinctum, non posse destitui,
et spes suas in patrocinio auxilioqye Roma-
norum collocatas habere. Exoptata fuit
haec occasio Romanis laceſſendi Macedones,
et premendi Philippum, Romanis suspe-
ctum, et Graeciae civitatibus, propter ereptam
libertatem, invisum. Antiochus Romano-
rum auctoritati obſistere non poterat, aegre
tamen ferebat, qvod Romani tantum sibi fu-
merent, ut ſe pro arbitris Regum gererent,
et Attalum quoqve Regem, amicum suum,
et Ptolomaei ſocium tuerentur, et ſibi pacis
leges ferrent: praeterea Philippum foedera-
tum eo redigerent, ut nihil ei, praeter Regis
nomen, relinqveretur. Illud altius in An-
tiochi animum descendit, qvod cum ipſo et-
iam

iam Romani durissimis conditionibus age-
rent, et Europae aditu eum prohiberent, in
Asia vero civitates, quas Philippus in pote-
statem redegerat, ab eo possideri nollent, et
liberas esse voce publica iuberent. Pacis con-
silia agitantem, ad bellum accendit Annibal,
sed cum Romanos, traecto Hellesponto, si-
neret intrare Asiam, et eo transferre bellum,
acceptaque in mari clade Lysimachiam, de-
ducto praesidio, defensoribus vacuam relin-
queret, et spe foederis cum Prusia faciendi
caderet, male svalentibus obnoxius, tardi-
tate sua, et dum in hybernis esset, luxuria
corruptus, occasione amissa, Romanos pro-
hibere non potuit, quin Asiae arbitrium, vi-
cto ad ultimum Antiocho, sibi vindicarent,
latisque conditionibus difficilimis, iugum im-
ponerent qui e castris vallo munitis, ad pu-
gnam egressus, precipitatae pugnae errorem
obsequendi necessitate expiavit. His rebus
ad inopiam redactus, et tributis, quae Ro-
manis pendebat, exhaustus, fanum Iovis Ely-
maei expilare voluit, sed in magno populorum

D 3

con-

concurſu eſt interfectus. Regnavit annis
ſex et triginta: mortem oppetiit A. regni 36.
A. M. C. 3797.

Seleucus Ceraunus, (non Ceraunius, ut ſcribit Diterichius) Seleuci Callinici filius, apud Appianum, Eusebium et Syncellum: qvanq; Polybius Callinicū Cerauni avum vocat, hift. lib. II. cap. 70 ult. Eius nullam rationem habuit Viatorinus Strigelius, et ſtatim, poſtqvam regnare coepit, interfectum ſcribit. Chron. de Regn. Syr. lib. II. Sed qui tribus annis regnavit, ſtatim ſub regni initium interfectus dici non potest. Rein. Reinecius duobus annis regnasse tradit, qvod rationibus Eusebii adverſatur. Legendi de eo Polybius lib. IIII. Appianus, Iuſtinus, Porphyrius et Sulpicius Severus. Fratre occido, regnum fuſcepit Antiochus, qui dictus eſt Magnus. Semel, iterum er faepius victus eſt, primum a Ptolemaeo Philopatore ad Raphiam, Phoeniciae Vrbem, adempta ſpe potiundae Coelesyriae, qvae a Polybio et Geographis Syria Cava nominatur. Deinde ad Thermopylas, Graeciae fauces in tractu Phocidis, ab Acilio Glabrone Cos. Cuius praelii meminit Frontinus lib. II. c. 4. Denique ad Magneſiam, ſigillatim eam, qvae eſt ad Sipylum montem, ut eam describit Livius lib. XXXVII. c. 37. Conſentit Appianus in Syr. cap. 106. Pugna, abſente P. Scipione, et aegrotante, commiſſa eſt, parta autem victoria, Lucius Cornelius Scipio Cos. Asiaticus, velut Afia minori iam devicta, dici voluit, et obtinuit, perinde ac Publius frater eius, confeſto in Africa bello, et deleta Carthagine, Africanus eſt cognominatus: ille tamen non ſine invidia, et minori apud Qvirites gloria, propter victoriam ab Acilio
ad

ad Thermopylas relatam. Livius eodem libro cap. 53. Magnesia ad Maeandrum fl. memoratur a Stephano in h. V. Thomas de Pinedo putat, *circa eam vietum esse ab Scipione Antiochum*. Sedenim Magnesia, clade Antiochi M. insignita, ad Sipylum posita erat. Huius meminit Livius, libro XXXVII. cap. 11. et c. 37. Robertus Stephanus, in dictionario nominum priorum, adversae nobis sententiae testem dedit Stephanum Byzantium: quanquam is nihil tale affirmavit, et unius duntaxat Magnesiae ad Maeandrum fecit mentionem. Praeclare distinguit Ptolomaeus has Vrbes, Geogr. lib. V. c. 2. Ante eum Strabo, lib. XIII. et l. XIV. Ille Magnesiam ad Maeandrum flumen Cariae, alteram vero ad Sipylum montem Lydiae: Strabo e diverso Magnesiam priorem Aeolidi, posteriorem quoque Cariae ascripsit. Livius eiusdem libri capite quinto et quadragesimo meminit Magnesiae ad Maeandrum: quo partem Romani exercitus hybernandi causa missam tradit, conserta iam ante pugna, quae Magnesiam ad Sipylum illustravit, Romanosque ab hoc tempore Asiae et Europae dominos fecit. Georgius Syncellus praelium ad Thyatira commissum scribit, Chronogr. p. 285. At ex Livio constat, Antiochum ibi contraxisse copias, et castra usque Magnesiam, quae ad montem Sipylum est, promovisse. Cuius auctoritate stamus, et imprudentiam Antiochi, atque imperitiam belli miramur, quandoquidem his rebus factum est, ut Romani causam occasionemque occupandae Asiae et Europae nocti, transmarinas opes Vrbi suae inferrent, atque ex Regum ruinis, et Philippo Macedone fortunis everso, non tantum Graeciae Civitates, sed etiam Reges Asiae, quosdam armis fractos, quosdam specie libertatis delinitos, sibi obsequentes haberent. Hic gradus ad occupandum Orbis terrae
Impe-

Imperium fuit. Appianus in Syr. c. iii. Extat Antiochi numus, qui congruit cum anno regni eius octavo et vicesimo, quem literae εις indicant, annumque epochæ Seleucianæ 117 designant. Titulus μεγάλου Antiocho III. attributus est, sed qui in quodam illius nummo expressus legitur, suspicione falsi non caret, et ab antiqua huius tituli scriptura recedit, quae documento est, haec talia epitheta nominibus propriis apponi, contra quam numus iste perturbat ordinem, et μεγάλος epitheton nomini Regis Antiochi praeponit, contra usum scribendi veterem, et contra antiquitatis fidem. V. Vaillantius in Antiocho III. Devicto hoc Rege, Asiae vitia, et depravati mores atque luxuria in Urbem migrarunt, et temperantiam Romanorum, disciplinamque corruperunt, ut auctor est Plinius H. N. lib. XXXIII. c. 11. et XXXIV. c. 7. De annis regni dissentit Appianus, quem sequuntur G. Fabricius, et R. Reineccius, et anno regni tricesimo septimo interfectum putant. Ego rationes ab Eusebio et Syncello confectas probo. Reliqua hic referre supervacuum est, quae deponi possunt ex Polybio, Diod. Siculo, Strabone, Livio, Cornelio Nepote, Iosepho, Appiano, Plutarcho, Athenaeo, Floro, Iustino, Eutropio, Eusebio, Orosio, Hieronymo, Syncello, Zonara, et scriptore Chronicis Alexandrinis: recentiores omitto.

Seleucus III. cognomine Philopator, adhuc privatus, sub Antiocho M. patre suo militavit, sed eo sublato, regnum successione consecutus, pacato fuit animo, et stetit patetis cum SPQR. initis, ne idem sibi, quod patri,

patri, infelicis belli aleam experito, in poste-
rum eveniret. Arma quidem pro Phar-
nace, Ponti Rege, sumpsit, sed mox foede-
ris memor, ab incepto destitit, et pacifican-
di Reges negotium reliquit Romanis, qui
inter Pharnacem, et Eumenem Pergami Re-
gem arbitri, auctoritate sua pacem inter u-
trosque conciliarunt. In regni principio
a Iudeis minime alienus, ex aerario suo pe-
cuniam elargitus est ad sumptus in templum
faciendos, sed postea vitio temporum, et a-
varitiae labe insigniter mutatus, impulsore
qvodam Simone, Oniae Pontificis odio hanc
in rem adducto, pecunias in templo Hiero-
solymorum depositas auferri iussit, misso,
qui mandata curaret, Heliodoro qvaestore.
Hic ubi templum intravit, graviter punitus,
et manu diviniore percussus, nec multo
post precatione summi sacerdotis restitutus,
iniecta animo religione, et templo non
violato discessit. Rex spe frustratus, in cona-
tu belli adversus Ptolemaeum Aegypti Re-
gem, per Heliodori aerario praefecti insidi-

E aspe-

as periiit, et veneno sublatus, poenam sacrilegii Deo persolvit, A. M. 3808. Duodecim regnavit annis, non magna potentia, neque ulla re memorabili gesta, propter difficultates pecuniarias, et regnum superioribus bellis afflictum, angustioribusque terminis circumspectum.

Diodorus Siculus in *Excerptis* p. 303. testatur, Taurum montem religione foederis, qvod pater cum Romanis fecerat, prohibitum, non transcendisse. Pharnaces Seleuci Philopatoris auxilio destitutus, cum Eumene amicitiam et pacem redintegravit. Tabulae, in qvibus scriptae sunt pacis leges, extant apud Polybium, in Excerpt. Legat. lib. LIX. Otiosus, neque admodum potens Rex fuit, auctore Appiano in Syr. cap. 131. Soter a Iosepho dicitur, Antiq. Iud. I. XII. c. 4. Nomen hoc corrupto adulatio[n]ibus seculo, illi additum est, qvod res actaque eius comprobant satis. Qui afflato Dei excitatus scripsit Vates Daniel, Seleuci Philopatoris meminit, cap. XI. 19. Suffragatur Hieronymus, et eundem, quem dixi, Regem intelligit, sententiamque divini Vatis apte declarat, fontes Ebraeorum secutus. Longius abit Theodoretus, et Antiochum Epiphanem designari putat. Auctor historiae Maccabaeorum rem totam, ut gesta est, commemoravit, et Seleucum ab initio in Iudeos propensum, de suo aerario suppeditasse necessarias ad sacrificia templumque impensas, at fama de thesauris, qui in templo asservarentur, perlata, opes aera[r]ii sacrilegio augere voluisse. II. Maccab. III. 3. 4. 5. 6. seq. Congruit historia Sulpicii lib. II. c. 26. Horatio

ratio Tursellino per incuriam excidit, qvando Seleucus Philopator ab eo cognominatus est Philometor, in Epitome hist. lib. III. Nullus enim huius nominis SyroMacedonum Regum extitit, qvi Philometoris cognomine ab aliis sua gentis Regibus distingveretur.. Igitur apud Lagidas quaerendus est, et infra apud Seleuci posteritatem. Annos regni XII. ei assignant Eusebius et Syncellus. Ex recentioribus quidam mendose scribit, aut librarii vitium est, Seleucum hunc patri suo in annos XXI. successisse, illis que elapsis fraude Heliodori praefecti sui periisse. Ulricus Huberus Inst. hist. civil. l. III. sect. 3. c. 3. Heliodorus iussu Regis sui expilare depositos in templo thesauros voluit, sed divinitus impeditus, non abstulit, nec Solymaei templi direptor fuit, ut scribit Io. Busquierius in Flosculis hist. p. 165. De nece omnes consentiunt: praece ceteros Appianus in Syr. cap. 116. Christianus Schotanus conturbatis temporum rationibus, mortem Seleuci Philopatris reiecit in A. M. 3774. hist. sacr. l. II. p. 1253. Merito Hieronymus Regem inglorium, avarum et sacrilegum appellavit, qvod cum oraculo Danielis apprime consentit, et simul argumento est, Daniel ad propiores Regum aetates, atque adeo ad Seleucidarum et Lagidarum, id est, ad Syriae et Aegypti Regum tempora intendisse animum, et vaticinia accommodasse, illorumque regna, et regnum vicisitudines, non Romani Imperii statum, qualis sub Augustis Imperatoribus futurus esset, praesignificasse.

Seleuco Philopatore mortuo, regnum, qvod iure successionis pertinebat ad Demetrium Seleuci filium, praeripuit Antiochus,

E 2 huius

huius nominis quartus, et dum frater re-
gnaret, Romae obses, quem Seleucus, sub-
misso in fratris locum filio, ex urbe do-
mum revocavit. Antiochus Roma egres-
sus, in Graeciam iter flexit, et simulatque
Athenas venit, cognita Seleuci Fr. morte,
auxilio Attali et Eumenis, rerum in Syria po-
titus est, submoto, qui caede Regis facta, ad
spem regni nitebatur, Heliodoro. Etsi enim
ab initio patruelis Demetrii se tutorem di-
xit, tamen, ut callidus erat, ambitionisque
plenus, in possessione firmatus, regnum, ex-
cluso herede legitimo, sibi vindicabat, nec
repugnabat ei populus, neque vicini obste-
bant, quod in aditu novae dignitatis, mo-
derationem clementiamque praeferebat.
Quae res multo aliter cecidit, ac Seleucus
olim sibi proposuit, cuius consilium eo spe-
tabat, ut filius pro fratre obses datus, per
id tempus, quo Romae commorandum es-
set, Romanis moribus assuferet, et bene-
volentia senatus populi que se muniret. An-
tiochus, patruele procul agente, Syros sibi
devin-

devinxit, et ideo Epiphanes appellatus est; qvo nomine Graeci insignem nobilemque declarant, alii illustrem interpretantur. At nomini minime respondit eventus, et flagitiis, luxuria, ac saevitia obruit dignitatem suam, ne regno qvidem patrueli per iniuriam erepto contentus. Mortuo enim Ptolemaeo Epiphane, intercipienda Aegypti consilium iniit, et pro tutore pupilli Regis se gessit, ut hoc nomine securius falleret Regem et everteret, impositisqve praesidiis, Aegypto potiretur. Qvod ita qvidem evenit, et regnum Ptolemaeo Philometori ademptum est, sed Alexandriam, sedem regni et caput, frustra oppugnavit. Reversus inde venit in Palaestinam, et intravit Hierosolymam, a Iasone, quem ipse Pontificem constituit, summo honore exceptus cultusqve. Iudeis autem propter coepitam seditionem infensus, et pecuniae cupidus, auro atqve atgento spoliavit templum. Edito crudelitatis exemplo, et ablatis templi vasibus, Rex sacrilegus, repetiit Antiochiam,

E 3 et

et ad bellum in Aegypto persequendum se
paravit, ac denuo Alexandriam obsedit,
tandem occupatus Vrbem, nisi eum Ro-
mani de sententia deduxissent. Fecit enim,
qvod Romanus Senatus censuit, et soluta ob-
sidiōne, tempori ac fortunae cesit. Gravis ei
fuit haec expeditio, maxime ob sumptus bel-
licos, qvos resarcire cupiebat. Idcirco ad
vexandas Iudeorum fortunas spectabat, et
misso, qvi tributa imperaret, Apollonio,
armis et exactiōibus premebat Iudeos,
magno eorum numero interfecto, muris-
qve Hierosolymorum solo aeqvatis. Ad
haec populus vehementer perturbatus est,
cum patrios ritus suos mutari intelligeret,
templumqve violari. Huic enim nomen Io-
vis Olympii impositum, et simulacrum eius
in ara collocatum est: sublatae patrum cere-
moniae, et libri legis ab Antiochi milite con-
scissi, aut combusti. Iudeorum plurimi
a sacris defecerunt, sed praecipue constan-
tiae fructum tulit Mathathias, et Apelle,
Regis praefecto, manu sua occiso, in
de-

deserta loca se contulit, ad cuius societatem Iudaei, ritus patrii tenaces se adiunxerunt, eumque gentis suae principem elegerunt, atque hoc mortuo Iudam Maccabaeum ducem, paternae virtutis aemulum, habuerunt. Antiochus tandem, cum iter faceret, curru excusus, et foedo morbo consumptus est, A.M. 3820. postquam regnaverat undecim annis, ut Eusebii, Hieronymi et Sulpicii rationes habent.

Antiochi saevitiam et sacrilegia descripsit auctor historiae Maccabaeorum lib. I. c. 6. et lib. II. c. 9. Idem ille a Syro Graecis dictus est Epiphanes, cuius memoriam cognominis servat Epiphania, una inter antiquissimas Syriae Vrbes, antea Hemath, sive Chemath, ab Hemathaeo Canaanis filio dicta, cuius mentio est apud Iosephum Antiq. I. I. c. 7. Adde Hieronymum in ep. 129. et in Amos c. VI. item Zchar. c. IX. Neque omittendus Plinius H. N. lib. V. c. 24. Itinerarium Antonini p. 39. edit. Hier. Suritae, Geographus Nubiensis ex interpretatione Latina Gabr. Sionitae, et Io. Hesronitae clim. IV. part. 5. Evagrius H. E. lib. III. c. 34. Novissime Bochartus Phaleg. I. IV. c. 36. De nova eius, et Regibus insolita vitae ratione Graeci scriptores, Diodorus in Excerptis p. 305. Athenaeus Dipnosoph. I. V. p. 193. Quamobrem ab aliis Epimanes, id est, furiosus nuncupatus est, ut idem confirmat, et ante eum tradit Polybius lib. XXVI. qui in fragmentis superest, ex eoque affert Athenaeus lib. X.

pag.

pag. 438. Syri Epiphanem appellant, propterea
qvod avitae ditionis vindex eluxisset, apud Appia-
num Syr. cap. 117. Non ergo sufficit, qvod Ill. No-
risius scripsit, cognomen Epiphanis ideo fuisse in-
ditum, *ut a decessoribus Antiochis distingveretur*. Ali-
ud enim ex Appiano liqvet. In diss. II. de Epochā
SyroMaced. p. 131. Sub id tempus idem istud
cognomen Ptolomaeo Epiphani additum est, cu-
ius filio, Ptolemaeo Philometori, apud Pelusium,
Aegypti Vrbem devictō, maiorem regni partem
eripuit, Iosephus Antiq. lib. XII. c. 6. et Bell. Iud. lib.
I. prooem. Post hanc victoriam, Aegyptumque fere
subactam, Dei nomen Antiocho tributum est, qvod
numi docent, cum epigraphe: ΒΔΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟ-
ΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. In hoc assentior purpu-
rato doctissimo, non universas Syriae Vrbes, sed ple-
rasque earum adulari hoc titulo conservisse. In diss.
de II. Ep. SyroMaced. p. 131. Livius varium mirum-
que Epiphanis ingenium declaravit, eo qvod *nec sibi,*
nec aliis, quinam homo esset, satis constaret, et quidam
baud dubie insanire affirmarent, lib. XLI. cap. 20.
Perperam existimat Sigonius, Livium ibi de Perseo
locutum, neque eo rectius Casaubonus putat, tem-
plum Iovis Olympii Athenis extrui coeptum, ad
Perseum referri oportere. Manifesto enim omnia
in Epiphanem conveniunt, quando Persei inclina-
ta Romanorum armis fortuna eiusmodi templum
inchoare non sinebat: Perseo deinde everso, et vi-
cto captoque, Romani Antiochum durius tracta-
bant, et ut ab Aegypto abstineret, misso C. Popillio
Laenate, praecipiebant magis, quam hortabantur.
Apud eundem lib. XLV. c. 12. et Iustinum lib.
XXXIV. c. 3. item Valerium Maximum lib. VI. c. 4.
Is mendose scribitur Pompilius, et ita ad oram Plinii
Dalechampianaē editionis l. XXXIV. c. 6. Vbi vul-
go, at male, Cn. Octavium, legnnt, qui C. Popil-
lio

Ilo recentior est, qvem senatus Ro. tempore Antiochi Eupatoris in Syriam misit. Huius meminit Cicero in Philippica VIII. et ex Graecis Appianus in Syr. c. 131. collat. cum c. 117. et Plutarchus in Appophtheg. c. 32. De annis regni Epiphanis dissentunt scriptores. A meis rationibus stant Eusebius et Syncellus: discrepat Ioannes Antiochenus, qvos conciliare instituit Vsserius, annum ineuntem a desinente distingvens. Annal. part. poster. p. 311. Minus caute, ut alias, cum Chronologorum vulgo tradit Bucholcerus. Mentionem eius fecit Ammianus Marcellinus lib. XXII. c. 13. Qvanquam templi, de qvo agit, Daphnaci Apollinis, conditor fuit Seleucus Nicator, ut supra annotavi. Sed ille cum Appiano redigi in concordiam potest, si conditoris nomine is intelligatur, qvi instauravit, vel complificavit idem illud templum: qvam conciliani rationem iniit Valeius, in notis ad h. locum. At vero Antiochus, qvem Tacitus commemorat, huius nominis fuit secundus, qvandoqvidem eius tempestate descivit Arsaces, ut ipse tradit Hist. V.8. Perperam ergo in Indice Taciti Freinsheimano nominatur Antiochus magnus. Decesit Epiphanes ante N.C. anno centesimo sexagesimo qvarto, anno Epochae Seleucianae centesimo quadragesimo nono, qvem signat anchor historiae I. Maccab. VI. 16. collato II. Maccab. IX. 28. Suffragatur Iosephus Antiq. I. XII. c. 14. Hos seqvuntur Iacobus Cappellus, Dion. Petavius, Henricus Petri, Iac. Vsserius, Ricciolus. Movit antea in Persiam, ad diripendum Elymaidis templum, Dianaee sacrum, et pluribus donariis refertum, qvod praeter Iosephum, Polybius in excerptis confirmat. Repulsus inde Babylonem fugit, nec multo post de accepta in Iudea clade, et diruto Iovis Olympii simulacro, nuncius ei allatus cst, qvi Regem moere confecit. Iosephus notavit Polybium, eo
F qvod

qvod causam mortis, atqve exitii Epiphanis, contulisset in suscepsum ab eo consilium conatumqve violandi Elymaidis fani, qvam verisimilius a sacrilegio Hierosolymis admisso, arcessere debuisset. Antiq. I. XII. c. 13. Atqvi scelera sceleribus cumulare voluit, et omni religione Numinis contempta, gravius Deum offendit, mortemqve sibi maturavit. Ipse Rex, priusqam exiret de vita, fassus est, poenam sacrilegii divinitus sibi irrogatam, qvam si Deus a capite suo averteret, et iram placari sineret, omnia, qvae a templo abstulisset, cumulate redditurum promisit. Maccab. IX. 16. Atenimvero sacrilegus Rex, tot vitiis flagitiisqve inquinatus, recto Dei iudicio, amisit spem veniae, et minime effugit iustam ultionem. Fallunt, qvi existimant, aut saltem dubitant, volente, an invito senatu, et furtim Epiphanes Vrbe excederit, qvod miror, Cornelio a Lapide in mentem venisse, cum in expoundendum Danielis vaticinium incumberet, atqve hac de re dubitanter pronunciaret. In commentario in cap. Dan. XI. 21. Aliud omnino constat ex Polybio, qvi non Antiochum, Seleuci IV. Fr. sed Demetrium, huius filium, ne diutius Romae obses esset, clam Roma excessisse commemorat, nec dissimulat, se eius consilii, ut Vrbe excederet, auctorem fuisse. Excerpt. Legat. CXIV. Assensu id suo firmat Appianus, Syr. cap. 117. Neutiqvam igitur Epiphanes, insciente Senatu, ex Vrbe elapsus est, sed de Senatus fratribusqve voluntate et sententia ex Vrbe discesfit. Vidi numos, memoriae Epiphanis sacros, in qvibus omisum est Epiphanis cognomen, de cuius significatu hoc addere nou piget, praesentem qvoqve a Latinis exponi, qvem Graeci Epiphanem dicunt. Qvod ante Vaillantium et Harduinum, submonuit H. Valeins, in annot. ad Eusebii H. E. lib. II. c. 6. Praesens a praesenti auxilio nuncupatus est Antiochus, tanqvam patriae Numen, post-

postquam tyrannos exterminavit, teste Appiano.
Qvare Iovi tribuitur in soluta et vineta oratione:
tum Regibus Seleucidis aeque ac Lagidis, neutris
tamen solis, qvod numi ostendunt, Bithyniae Re-
gem ita cognominatum esse confirmant, apud Gol-
zium, Marshamum, et Harduinum. De Caio Cali-
gula, Imp. Ro. id comprobat Syncellus, Imaginem
suam titulo Iovis praesentis (ita enim converti de-
bet) Hierosolymis dedicandam curavisse. Chrono-
graph. p. 331. Qvod ante Syncellum memoravit Phi-
lo, Caii temporum aequalis, et ad eum legatione
obita clarus, post hunc Iosephus. In Vrbe Tabarum
vivere desiit, qvae in Perside, ac nominatim in re-
gione eius Paraetacene sita erat. Εν Τάβαις τῆς Περ-
σιδῶν, ut loquitur Polybius Excerptorum lib. XXXI.
Non Diodorus in Exc. qvem laudat Vaillantius. A-
pud Ptolemaeum non dubito, qvin legatur mendo-
se, *Gabae*, pro Tabae, Geogr. l. VI. c. 4. Vox, *Tabas*,
apud Curtium mihi suspecta est, qvam ex Arriano
non accepit: neqve Tabas, in numero plurium, ca-
su nominandi veteres Geographi usqvam scripse-
runt. Illis autem temporibus Iudei non mone-
tam cuderunt, neqve numos signarunti, qvamvis li-
beri suique juris essent. Qvam in sententiam le-
genda est historia Maccabaeorum, unde firmum e-
ius praesidium licet repetamus. Non dissentit an-
tiqvitatis numariae peritus Otto Sperlingius, in dis-
sertatione *de numo non cujo proxime edita*. Gilbertus
Gaulminus in notis ad Psellum de op. daem. p. 109.
Epiphanem ex libro X. Polybii Epimanem nuncupa-
tum scribit, qvem ex libro fragmentorum XXVI.
commemorari oportet. De Mattathia addo, eum
a Iosepho, Eusebio, et fastorum Siculorum auctore
Matthiam nominari, sed producta voce, Mattathias,
scribitur quoqve in fastis illis, et in historia Macca-
baeorum: a Sulpicio Mathathias, perperam Matha-
tias, apud G. Fabricium, et Antonium le Grand hist.

fac. l. VIII. Neqve hic rectius eodem libro tradit, Epiphanem, Babylone mortuum. De sacerdotio eius legendi sunt Scaliger, l. V. de emend. temp. Petavius de doctrina temp. l. X. c. 52. Seldenus de successione in Pontificatum Ebraeorum, lib. I. c. 10. Ab eo propagati sunt Assamonaei, five Hasmonaei, qvi vulgo, at minus recte Maccabaei appellantur. Io. Drusius in explicatione tituli prioris lib. Hasmonaeorum: ex eo Chr. Schotanus hist. sacr. t. II. p. 1266.

Antiocho Epiphani, vita functo, successit Antiochus Eupator, quem Pater moriens sub tutela Philippi esse voluit, ut regnum tantisper administraret, dum filius ad regendum aptus idoneusque esset. At Lysias hanc Philippo dignitatem praeripuit, et cognita Antiochi morte, Regem declaravit Antiochum iuniorem. Lysias sub Rege puer, regni administrationem nactus, bellum contra Iudeos suscepit, sed irrito conatu oppugnavit Iudam Mattathiae filium, et clade accepta, pacem cum eo pactus est, qva mox rupta, luit perfidiae poenam. Etenim spe evertendi hostis deiectus, et seditione Philippi, qui Regis tutelam reposcebat, impeditus, eaqve sopita, Romanorum legatione, qvae ad inspiciendum Syriae statum venerat, territus, a Demetrio, clam Roma

ma in Syriam profecto, interemptus est,
cum duobus regnasset annis. Edita caede,
qvae A. M. 3822. contigit, Demetrius Seleuci
IV. filius, regnum ab Antiocho Epiphane in-
terceptum recuperavit, iure qvidem pater-
no subnixus, eoqve propior regni heres, sed
ex ratione civili Senatus Eupatori favebat,
qvod ab eo minus, qvam a Demetrio, me-
tuendum esset: placato autem senatu, cum
liberaliter omnia se facturum promitteret,
et corona Romam missa, voluntatem pro-
lixam, et fidem declararet, huius qvoqve est
iudicio confirmatus. Aliqvanto post odio
in Iudeos incensus, atqve ab Alcimo gen-
tis sacerdote et proditore instigatus, belli
duces constituit Nicanorem, et hoc in pu-
gna caeso, Bachidem, qui devicto Iuda Af-
samoneo, cladem cladi reddidit, et supe-
riorem illius populi fortunam convertit.
Qvam, fratre sublato, instauravit Ionathas,
et ex foedere Alexandrum Balam adiuvit,
qui se dixit filium Antiochi Epiphanis, et
Demetrium, ob superbiam et luxum Antio-
chensibus invisum, lacesivit armis. Prae-

ter Ionatham, Alexandro ferebant auxilia
Ptolemaeus Philometor Aegypti, Attalus A-
siae, et Ariarathes Cappadociae Reges. De-
metrius in praesentissimo regni amittendi
periculo, cum hoste configendum ratus, in
aciem descendit, et multis vulneribus confe-
ctus interiit, cum in locum iniquum et vli-
gnosum delapsus, evadere non posset. Regno
potitus, Cleopatram Ptolemaei Philometoris
filiam duxit, ut hac affinitate firmaret poten-
tiam, fretusque socii amicitia, securius re-
gnaret. Qvod secus evenit, atque cogitaverat
Alexander, quando haec mulier, facto ab eo
post divortio, Regi et regno causa exitii fuit.

Antiocho V. Eupatoris cognomen inditum est pro-
pter memoriam et virtutem patris, ut Appianus
docet in Syr. c. 117. Idem hoc videre est in numis,
qui scalptum ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ titulum servant. Puer,
dum a Syria abesset Epiphanes, fidei Lyfiae com-
missus creditusque est: postea vero, quam de supre-
mis cogitavit ac disposuit, Philippum constituit fi-
lli tutorem, regnique administratorem, quo auctor.
Syri Regem Puerum Eupatora appellarunt. I. Mac-
cab. VI. 14. seq. Eamque historiam scutus Iosephus
Antiq. I. XII. c. 14. Hubertus Golzius sui oblitus, A-
lexandro Balae cognomen Eupatoris tribuit, de quo
paulo post aliiquid annotabo. Demetrii, hoc nomi-
ne inter Syros Graecos primi, mentio est apud au-
torem historiae, quae vulgo inscribitur Maccabaeo-
rum prioris libri septimo capite: item apud Iose-
phum

phum l. XII. c. 16. Polybium Excerpt. Legat. CVII.
CXIV.CXX. Appianum Syr.c.108. Huic diffidebant
Romani, et malebant puerum ac pupillum Syriae
praeesse, qvam virum, nec sinebant habere elephan-
tes, neqve naves, supra definitum a Romanis nume-
rum, cum Antiocho magno has dicerent leges, et in-
ciderent potentiae nervos: legatos qvoqve crebro
mitterent, qvi omnia inspicerent et explorarent, si
qvid contra fieret, observarent, si nocitulum esset,
praeverterent, Regesqve vectigales redderent, et
tributis exhauirirent, beluas ipsas, qvarum in bellis
usus erat, occiderent, et naves, si numerum excede-
rent, iniecto igni delerent, id iustum arbitrati, qvod
sua et gentium securitate rependeretur, ut ex allatis
Polybii et Appiani locis liqvet. In numis inest titu-
lus ΣΩΤΗΡΟΣ, et ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ. Aliqvi ad
adulationem compositi, etiam ΘΕΟΥ cognomen,
proxime ante haec duo, positum ostendunt, exem-
pli et aemulatione Antiochi Epiphanis, de qvo su-
perius dixi. Alexander, huius nominis in SyroMa-
cedonibus primus, cognomine Bala, ab aliis aliter
nuncupatus est. Ego auctoritatem Strabonis seqvor,
commemorantis Balam Alexandri, τὸν Βάλαν Αλεξάν-
δρον, Geogr. I. XVI. Apud Iosephum legitur Balles, ὁ
Βάλλης, vulgo exponitur Veles, antiq. lib.XIII. cap.8.
Fuit Antiochi Epiphanis filius, teste Iosepho Anti-
qvitatum, sive rectius Originum lib. cit. cap. 3. Con-
tra nominatur ὁ Επιφανῆς, I Maccab. X. 1. Mendose
in editione novissima Cantabrigiensi exprimitur ὁ
ΕκΦανῆς. Hugo Grotius historiam Maccabaeorum
ex Iosepho corrigendam putat, et Επιφανῆς legen-
dum censet, fiducia ingenii, non auctoritate codi-
cum nixus, aut potius Drusum in notis ad hunc
locum secutus. Atenimvero Eusebius ipse Epipha-
nam cognominatum in Chronico testatur. In Grae-
cis Excerptis Scaligeri, et Chronographia Georgii
Syncelli dicitur Epiphanis filius, et scribitur Αλέξαν-
δρος

δέ τούτοις Βαλᾶς οὗτος τούτος Αντιόχης τούτος Επίφανος. Νευτικών
improbanda est emendatio Chr. Ad. Ruperti, proxima, quae reddidi, verba sic refingentis. Αλέξανδρος οὐ
Βαλᾶς οὗτος Αντιόχης τούτος Επίφανος. Ναμ Βαλαί eius mater,
et Epiphanis concubina fuit, a qua cognomen hoc
tulit, et Balas est appellatus. Dissentiunt gravissimi
scriptores Polybius in Excerpt. legat. CXL. Appia-
nus in Syr. cap. 131. Auctor Epitomes Liviana lib.
LII. Athenaeus lib. VI. Iustinus lib. XXXV. c. 1. Sul-
picius Severus lib. II. c. 35. Quam in sententiam incli-
nat Albericus Gentilis in erudita disp. ad lib. I. Mac-
cab. c. 8. Quas disidentium sententias in concordi-
am redigere conatus est Iacobus Salianus, Annal. Ec-
cles. tom. ult. A. M. 3902. Aliter tradunt Serarius,
Sanctius, Torniellus, Petavius, Drusius, Grotius, Be-
boldus. In plerisque Alexandri numis, qui superant,
incisus est titulus, ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. Erro-
nea est temporis noratio apud Eusebium, quando
decem annis regnasse putat Alexandrum I. Quidque
duntaxat annos ei tribuit Iosephus, et rationes sub-
ducit recte. Hunc quidam errore ducti vocant An-
tiochi Eupatoris filium, novissime Ulricus Huberus.

Ex eo tempore conversa est prorsus Syriae felici-
tas, et Reges in suam ipsorum perniciem caedibus
graſſati sunt, nec magis ambitione, quam crudelitate
certarunt. Alii seditionibus agitati, alii externis bel-
lis petiti, quidam infidiis et scelere occisi, perfidiae,
inceſtus, et sacrilegii crimina expiarunt, adnitenti-
bus praecipue Aegyptiis, perpetua aemulatione Sy-
riae infestis. Praeter hos Parthi, Arabes, et Armenii
eorum fortunas in discrimen adduxerunt, Romani
tandem ductu Pompeii Magni Tigrane, qui Syriam
occupaverat, devicto, regnum armis Luculli suba-
ctum, et Antiocho Commageno ademptum, A. M.
3918. in provinciam redegerunt, et pristinam Syris
Macedonibus libertatem eripuerunt.

Coll. diss. A. 110, misc. 39